



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 222. An attentio interna in Horis sit saltem graviter præcepta ab Ecclesia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42600

Ob has aliasque rationes, quas afferunt *Lugo* supra & *Gob.* à n. 824., sententia hæc spectatâ ratione videtur esse probabilior: unde respondetur ad argumenta opposita: *Ad 1.* dico elevationem mentis in Deum haberi per intentionem orandi, saltem virtualiter permanentem, uti docet *S. Th.* in 4. dist. 15. q. 4. a. 2. q. 4. ad 3. *Ad 2.* dico distrahi voluntariè esse peccatum & intrinsecè malum, quia est irreverentia exteriùs Deum alloqui & profiteri se Deum colere, ac id non facere interiùs. *Ad 3.* N. conseq., nam si sit vera oratio & actus religionis, additur ei aliquid, quod Deo displicet; uti si quis ex vana gloria oret, est vera oratio, & tamen Deo displicet. *Ad 4.* C. satisfieri, si simulatio cadat super internam pietatem, dummodo totus actus externus cum intentione interna verè ponatur, & in hoc nihil est absurdi, tam parum, quàm quòd satisfiat per recitationem ex vana gloria.

Q. 222. *An attentio interna in Horis sit saltem graviter præcepta ab Ecclesia.* R. Argumentum pro parte affirmante est, quia in Cap. *Dolentes*, de celebr. Missar. sic habetur, *Districte præcipimus in virtute obedientia, ut divinum officium, quantum eis Deus dederit, studiosè celebrent ac devotè.* Et meritò id præcipit Ecclesia, cum Christus conqueratur *Matt. 15. v. 8. populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me;* quod verum est de illis, qui nullam in orando attentionem habent. Hanc sententiam latè defendit *Fagn.* ad Cap. *Dolentes*, à n. 17., & *Gob. t. 5. n. 838.* dicit omnibus consideratis esse probabilior: Nihilominus adhuc contrariam defendunt *Côn. Lugo*, aliique multi apud *Arsdek.* de probab. opin. q. 3., negantes ullam ex præcepto esse obligationem ad attentionem internam; ac probabilem & tutam in praxi dicunt etiam ex adversariis

fariis multi cum *Henriq. Less. Laym. Lohn. Gob. n. 830. 836. & 843.* Aliqui utuntur hac ratione, quòd Ecclesia præcipere non possit actus internos, sed ratio illa nulla est, uti constat ex dictis l. I. à n. 643. Itaque alii probant his argumentis, 1. Quia lex positiva, quæ obligaret ad attentionem internam, non est satis promulgata, cum gravissimi AA. eam dari negent, alii de ea dubitent, ergo non obligat, secundum dicta l. I. à n. 274. 2. Pontifices sciunt sententiam, quæ ejusmodi obligationem negat, defendi, & tamen, cum facile possent, non contradicunt, ergo agnoscunt legem illam non esse certam, ergo nec obligat, sed libertas nostra est in possessione contra eam, uti etiam l. I. n. 272. dictum est. Unde ad argumentum contrarium responderi potest, quòd in *Cap. Dolentes*, præcipiatur tantum actus externus religionis, uti etiam in *Trident. Ses. 24. c. 12. de Ref.*, nam ibi agitur contra illos, qui in Choro sub officio fabulantur, uti advertit *Côn.*, hinc ipse *Suar.* notat, evincitque *Lugo*, n. 37., ex eo capite nihil concludi contra posteriorem sententiam, adeoque est & manet probabilis, uti optimè ostendit *Gob. n. 831.*: prior tamen est pro praxi suadenda ac meritò sequenda.

1343 Q. 223. *Quanam pro praxi adhuc addenda sint circa attentionem internam.* R. Sive quis primam sententiam teneat dicatque sub mortali requiri attentionem internam ad satisfaciendum obligationi Horarum, sive teneat secundam, & neget sub mortali requiri, tamen sequentia sunt vera.

§. I. Semper peccat venialiter, qui voluntariè in Horis distrahitur, quia est irreverentia velle loqui cum Deo, & non applicare mentem, sed voluntariè alia volvere animo: Attamen non peccat, qui aliquid legens cogitat se illo usurum, v. g. in concione aut ad